



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXXI. Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi Jesu, pientissimi Redemptoris nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Solet autem statera non tantum habere crucem, sed & duas lan-  
ces, in quibus omne pondus libratur, quarum si una lanx ob gravita-  
tem rei libratae deorsum ad terram deprimitur, lanx altera vicissim  
sursum & in altum erigitur, unde recte ei pro lemmate inscribes: *Hu-  
miliat, & Exaltat.* Et nunquid Christus Dominus humiliavit semetipsum,  
factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? Et quid sequitur?  
Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne  
nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur &c. Disce ex hoc quantum  
te debeas in hac vita humiliare, si velis cum crucifixo Servatore tuo  
in altera exaltari; si enim hic ex una lance deprimeris, ex altera parte  
apud DEUM surgis & exaltaris, nam ille est, qui pauperem facit, & dicit, *1. Reg. 2. 7:*  
*humiliat, & sublevar.*

7. Job denique, velut novus Phoenix post exantlatam & supera-  
tam tantam calamitatem quasi a mortuis surrexisse sibi visus est, dum  
omnia bona sua duplicia cum perfecta sanitate recepit, novusque Rex  
Idumaeorum salutatus est. Christus devicta morte gloriosè resurgens  
à Patre omnia centuplicia recepit, & Rex vivorum atque mortuorum  
constitutus est. Vides nunc anima mea, quam verum sit illud S. Ja-  
cobi: *Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris & patientia: Prophetas,  
qui locuti sunt in nomine Domini; Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt:  
sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam mi-  
sericors Dominus & miserator &c.*

Philipp. 2. 8.

Job. 42. 10.

Act. 10. 24.  
Jacob. 5. 10.



**CONSIDERATIO XXXI.**  
**Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi**  
**Jesu, pientissimi Redemptoris nostri.**

*Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de*  
*terra viventium. Jerem. 11. 19.*

1.  
**J**eremias jam in utero matris sanctificatus, & omnis lethalis crimi-  
nis per totam vitam expers, in his terris expressissimus typus Chri-  
sti JESU crucifixi extitit. Videamus inter utriusque vitam &  
mortem pulcherrimam analogiam.

Jeremias à DEO positus erat in signum, seu in scopum sagittariorum, cui per omnem vitam à Judæis & Gentilibus contradicendum est: *Posuit me quasi signum ad sagittam*. De Christo Domino vaticinatus est S. Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur*: Hoc autem signum non erat aliud, quàm crux, in qua Christus scopus factus est omnium contradictionum, tum Judæorum tum Gentilium.

Jeremias ob veritatem prædicatam in lacum limosum projectus est: *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchia*. De Christo patiente perhibetur, quòd in torrentem Cedron projectus fuerit: *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, & in eundem à perfidis Judæis præcipitatus est*. Vide Adrichomium in descriptione Hierosol. n. 207. Unde & in Psalmis de illo dicitur: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*.

2. Jeremias everisionem urbis Jerosolymæ & templi devastationem amaris deploravit lacrymis; Unde venerunt illi Threni, quos tantæ calamitatis spectator præfens & testis composuit: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei*. Christus non tantùm super Jerusalem flevit brevi devastandam: *Videns civitatem, flevit super illam*, sed & in cruce pendens sanguineis lacrymis animarum deplanxit jacturam: *Cum clamore valido & lacrymis offerens*.

Jeremias ab impiis & rebellibus Judæis invictâ patientiâ durissimos carceres, flagella, verbera, irrisiones, famem, sitim, ipsamque mortem sustinuit: *Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris*. Christus Dominus non dumtaxat irrisiones, famem, sitim, vituperia, vincula, carceres & flagella, sed & spineam coronam, imò integram vulnerum legionem, ac demum iniquissimum mortis judicium patientissimo animo sustinuit: *At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*.

3. Jeremias inter omnes Prophetas calamitosissimus extitit, cui in carcere vinculis constricto, atque innumeris opprobriis & animæ amaritudinibus repleto omnes quoque dentes erant confracti: *Fregit ad numerum dentes meos*. id est ordine & singillatim unum post alterum designando, & excutiendo. Christo Domino calamitosissimo ac novissimo virorum pariter per tam horrendam à manu armata factam colaphizationem dentes plures excussi fuerunt: *Atrocium colaphorum vi, ait Mancinus, molares dentes Christo fuerunt excussi, ruptis in gingiva venis, ac penitus dilaceratis*.

Mancinus de  
Pass. Dom,  
fol. 506.

Jeremias

Jeremias, mille licet saturatus opprobriis, & affectus verberibus, mortisque reus ab ingratis Judæis declaratus, semper tamen agnam præfetulit mansuetudinem: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam* Christus Dominus in omnibus tormentis & passionibus, etiam cum ad crudelissimam mortis raperetur lanienam, semper se mitissimum ac patientissimum agnum monstravit; unde de illo vaticinatum est: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Jerem. II. 19. Isa. 53. 7.

4. Jeremias loco panis ligno pastus est: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius:* Hoc est, prout exponit Cornelius & alii, loco panis & ciborum porrigamus ei crucem & lignum, in quo suspendatur & pereat. Christo Domino impii Hebræi non solum crucem comminati sunt, sed & actu ipso lignum ei in panem miserunt, unde S. Petrus ad Judæos: *Quem occiderunt, suspendentes in ligno &c.* Jerem. II. 19. Act 10. 39.

Jeremias denique palo alligatus, à furente populo & ingratis homuncionibus, quibus verbum Dei prædicaverat, vivus lapidibus obrutus est. Ita Martyrologium Romanum: *In Ægypto Sancti Hieremias Propheta, qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphmas occubuit, ibique sepultus est.* Christus Dominus non tantum palo crucis fimbriis alligatus, sed & quatuor ferreis clavis ligno affixus est, ubi impiorum blasphemantium linguis lapidatus, & diris obrutus est opprobriis. Martyrol. Rom. 1. Maij.

5. Ex his dictis, & considerandis bene consideratis, facile conjicies, Lector prudens, quam insignis typus crucifixi JESU fuerit Divus Hieremias. Sed quid tu ad ista, ad typum & ad prototypon? Heu quam debilis adhuc es! verbulo subinde unico pungeris, vel levi aliquâ afficeris injuriâ, & hæc ob amorem Christi JESU crucifixi æquo ac mansueto animo tolerare non potes? Ah quænam tua in adversis est mansuetudo & patientia? En Dominus ac Deus tuus pro te in cruce patitur, ridetur, contemnitur, & velut abjectissimus vermiculus impiorum proculcatur pedibus, & tu quid? Quomodo, obsecro, aliquando apparebis in conspectu illius, qui pro te non dubitavit manibus tradi nocentium. & crucis subire tormentum?

S. Jeremias anima, ubi post tam atrocem mortem à corpore fuit separata, ab Angelis ad limbum Patrum deportata est, quæ Judæ Machabæo generosissimo Hebræorum Duci in magna gloria apparuit: *Post hoc apparuisse & alium virum (Jeremiam) atate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum; Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei &c.* Christus Dominus ubi in cruce 2. Mach. 15. 14.

cruce expiravit, sanctissima illius anima recta ad eundem SS. Patrum limbum descendit: *Passus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos; unde Paulus: Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terra.*

Ephes. 4. 3.

1. Ep. Joan.  
2. l.

6. Jeremias intercessor factus est pro Ecclesia Judaica, quæ tunc in magnis angustiis erat constituta: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate; Et quia in vita sua ingenti zelo pro salute populi Israël laboravit, idè etiam post mortem suam existens in limbo eorum memor esse voluit, ut conservarentur ab interitu. Christus advocatus noster apud Patrem factus est non tantum in vita & in cruce: Pater dimitte illis, sed etiam post mortem, & nunc in caelis. Juvat pro solatio nostro audire S. Joannem: Filioli mei, inquit, hoc scribo vobis, ut non peccetis; sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi; dum adhuc in caelo Patri amantissimo vulnera sua, sanguinem, crucem ac mortem pro nobis obitam representat; idè enim SS. Vulnerum cicatrices resurgens retinuit, ut eas jugiter Deo Patri tanquam Pontifex noster representet, atque per eas nobis veniam ac gratiam impetret. O quantum solatium! Erige te, o anima mea! Ecce apud Patrem advocatus tuus factus est ipse Dei Filius! O fons omnium bonorum quis non amet te? Compungere, & crucifixi pedibus provolutus veniam implora &c.*

Jerem. 1. 5.


S. Bonav. Col-  
la. 7.

7. De cætero Victorinus Martyr in Apocal. c. 11. existimat, S. Jeremiam Prophetam ante extremi judicii diem cum Elia de novo in mundum venturum, ut contra Antichristum pugnet, & Christum crucifixum Gentibus annuntiet: *Prophetam in Gentibus dedi te; Unde quidam tempore Christi putabant ipsum Christum esse Jeremiam, prout habetur Matthæi 16. 14. Quid quid sit hac de re, Jeremias perfectissimus typus pientissimi Redemptoris nostri crucifixi fuit. Imitemur utrumque, quantum possumus, meditando & gratia memoria recolendo Dominicam passionem: Qui se, ait S. Bonaventura, intente & devotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet, nec est opus, ut extra JERUSALIM aliquid quarat.*

Lib. vitæ cap.  
12.

Hoc inter alios fecit S. Bernardus in colligando sibi fasciculo amaritudinum crucifixi Domini sui; Unde cum nunc cum morte luctaretur, & ad tribunal Christi vocaretur, ad diabolum adstantem, & defectus præteritos ipsi exprobrantem generoso animo dixit: *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere celo- rum:*

rum: Cateram duplici illud jure obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris, & merito Passionis; altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. Applica hoc tibi mi Lector Staurophile, & vade in pace.



# CONSIDERATIO XXXII.

## Daniel in lacum leonum missus pulcher- rimus typus crucifixi Redemptoris nostri.

*Adduxerunt Danielelem, & miserunt eum in lacum leo-  
num. Dan. 6. 16.*

I.

**D**aniel Propheta nobilissimus, quia de Regia stirpe Juda oriun-  
dus, juxta ac sanctissimus, dum illibatam virginitatem per-  
petuo coluit, Christum JESUM & hunc crucifixum clarissi-  
me praevidit, dum illum in captivitate Babylonica non tan-  
tum Israëlitis concaptivis fratribus, sed & Chaldaeis, Persis ac  
Medis annuntiavit venturum, orbemque terrarum per mortem crucis  
redempturum; imò quod majus est, ipsum tempus denominavit,  
quo à proprio populo esset negandus, atque occidendus: *Post hebdo- Dan. 9. 26.  
mades sexaginta duas occidetur Christus: Et non erit ejus populus, qui eum ne-  
gaturus est.*

2. Idem Daniel clarissime praevidit Christum per illum lapidem  
qui sine manibus de monte abscissus, quadriformem statuam Nabu-  
chodonosoris uno momento contrivit, atque comminuit: *Abscissus est Dan. 2. 34.  
lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus terreis & sili-  
bus, & comminuit eos. Per quem lapidem Christus & hic crucifixus, tan-  
quam lapis angularis & fundamentalis adumbratus est, qui per san-  
ctam crucem suam quatuor idolorum regna contrivit, & evertit; imò  
adhuc hodie magis magisque giganteam mundi statuam comminueret,  
ac labefactare solet, dum regnum suum sub vexillo S. Crucis ex omni  
parte nunc in orbe, tum inter Gentiles & Paganos, tum inter hæreti-  
cos mirum in modum auget, & inimicos crucis confundit.*

3. De